

C

C. l. 94

Alteyab. D. r. f.

or
H. 17

33

II 2 c. 35

~~2 N 35~~



COLLATIO

Nuptiarum terrestrium ac coelestium
In funere

PIISSIMAE AC HONESTISSIMAE FOEMINAE
Margaretæ Heisenæ &c: ab illarum
fluxis solennibus ad harum perpetuas festi-
uitates Francofurto placida morte
à DEO 7. Id. Sept. euocata,

HONORIS DEFUNCTAE
AMITIMAE VLTIMI PRAESTAN-
di, doloris Hæredum relictorum summi leuandi,
amoris erga hos & illam intimi testandi, mo-
risq; antiquissimi ac probatissi-
mi firmandi ergò

M. Ioachimo Garcæo
rogato, s. eorundem ante
ædes instituta.

*Frankofurti ad Oderam
Typis Scuirianis.*





VIRO PRAESTANTISSIMO AC
INTEGERRIMO

D. Bernhardo Freudenio, Archimagiro
Electoralis &c: viduo, coniugis
fidelissimæ:

FILIIS HONESTISSIMIS, D.
Matthæo, Organico Drosnensi, & Georgio
Pfisterijs, matris suavissimæ:

NEC NON
Generis clarissimis DD. NICOLAO TVSCARO,
I. V. D. & Andreae Geigersbergio, Ludi qui est
Coloniæ ad Spream literarii Rectori, Soc-
rus amantissimæ obitum
lugentibus:

Patruis, affinibus & fautoribus suis reuerenter ac stu-
diosè colendis causis grauissimis adductus
hanc offert collationem

M. Ioachimus Garcæus.

PARENTALIA MAR-
GARETAE HEISENAE PERSO-

luta à M. Ioachimo Garcaeo post
deductionem funeris.

SI quis vestrum, auctoritatis magnificae,
praestantiae illustris ac generosae, dignita-
tis reuerendae, doctrinae excellentis, gra-
uitatis eximiae, humanitatis summae vi-
ri, etatis virētis, ingeniorumq; vigenti-
sum iuuenes, si quis, inquam, vestrum, aut admiratione
obstupefactus, aut stupore oppressus, aut horrore per-
fusus, aut dolore contusus, vel obitum foeminae optima-
tis, cunctarumq; virtutum laudibus eminentis M. AR-
GARETAE HEISENAE, cum omnibus bonis,
tūm vel inprimis moestissimo marito, D. Bernhar-
do Freudenio viro amplissimo, nec non Liberis, generis
clarissimis, ac reliquis necessarijs acerbū ac luctuosum,
miratur, vel causam subitae huius vitae cum morte com-
mutationis rimatur, vel etiam diuinae voluntati indi-
gnatur, vel melius quid hinc auocatae accidere potuisse
opinatur: Is, cum frondes arborum ornamentis suis
sensim nudari videat, vna lege moriendi omnes huius
mundi, tanquam vnius vrbis, ciues obligari audiat, à
DEO sapientissimo cuncta sapientissimè administra-
ri reco-

ri recolat, nec beato ex hac vita ærumnosa discessu
quicquam beatus, quicquam optatus cuiquam nostrum
posse præstari cogitet; mirari, rimari, indignari, opina-
ri desinet, viam ac rationem, qua à nobis pijsima illa,
cui parentamus, Matrona recessit, adq. gaudia illa, quæ
nec oculus vidit, nec enim color, nec auris audiuit, nec e-
nim sonus, nec in in cor hominis ascenderunt, illuc enim
corda nostra ascendere convenit, accessit, cognoscet. Co-
gnoscet a. ex me, qui has mihi partes non ingenio, quod
in me perexigum, nisi, nec eruditione, quæ minus exi-
mia, nisi, aut ambitione, à quasem per alienus fui, im-
pulsus, vel gloriolæ alicuius, quæ vapor, aucupandæ
desiderio accensus: sed necessitudine ac propinquitate,
quæ arctissima inter nos erat, motus, Hæredumq.
squalore confectorum autoritate, quæ apud me summa,
permotus sumsi: qua in re si peccatum aliquid à me sit,
non tam leuitate aut temeritate, quam humanitate ac
facilitate à me peccatum esse dixerim. Cognoscet, in-
quam, istam quam dixi rationem ex oratione, hoc angu-
sto quidem angulo, angusto tamen circulo habenda,
angustiori tempore, angustiori aëre recitanda, ex an-
gustissimo ingenio, angustissimo tamen pectoris sacra-
rio promenda ac proferenda. Promentur autem quæ-
dam, inq. medium afferentur de fluxis illis nuptia-
rum terrestrium, quales die ab hinc 14. à viro doctiss.
D. M. Henningo Floringo &c: celebratæque, piè de-
functæ

functæ Matronæ etiam ornatae sunt, solennibus, de quibus
eternis illis quibus nunc interest conuiuiorum nuptiali-
um festiuitatibus: de quibus ut breuem, non tamen le-
uem, vos Auditores humanissimi, qui et ad mundanas
illas inuitati frequenter ac gratanter superiori accessi-
stis, et ad caelestes nunquam non vocati vel festinanter,
vel cunctanter hoc et sequenti accedatis tempore nuptias,
mecum considerationem suscipiatis, et collationem vo-
strarumque, instituatis, diligenter ac uehementer contem-
do.

Ac ne quis me hoc tempore lufurum, aut ma-
gnam uerborum copiam fusurum, aut etiam temerè hac
collatione usurum opinetur: rei grauitatem considera-
ri, orationis breuitatem expectari, et instituti mei ratio-
nem cogitari uelim. Quæ enim septimanis ab hinc sex
Filiam Catharinam, summo pietatis splendore præ-
ditam, uenustissimo pudicitie flore eximie ornata,
elegantissimoque morum lepore affluentem, uero claris-
simo D. NICOLAO TVSCARO, latiss. lega-
lis scientie campum feliciter emenso, indeque cursus sui
præmio ab inchyta Basilea dignè honorato, aliisque
multis, et non uulgaribus, donis commendato in matri-
monium collocauit, et hoc ipso die suauissimo socrus
nomine exultauit, quæque ante dies 14. una cum reliquis
nuptialibus uiri excellentissimi D. MATTHÆI
CVNONIS, ad miraculum usque docti, domum alias

consultoribus, tum consumtoribus repletam frequentavit, pro salute nouorum Coniugum **DEVM** inuocauit, inq; accubatione ista epulari moderata & honesta mediocriter se recreauit, publici consilij templum cymbalis personans hac ipsa hora alijs coniuncta, et dexteræ meæ iuncta, intrauit, ac tandem illis omnibus per actis ad suos redire maturauit: Hæc hoc tempore Maritum, Liberos, Generos, Heredes, publicas ac priuatas ædes, proprias senio confectas, & alienas condolentes reliquit, ac dexteræ qua ad choreas ducta, lingue qua blandè compellata à me fuit, Nenas has extorsit tristissimas.

Ac primùm quidem in nuptijs his nostris sponsus se offert, ac sponsa: quæ personæ cum solitæ sint sibi spondere vxores ac maritos futuros, sponsalium inde appellatio nata est, quæ futurarum nuptiarum mentio definiuntur ac repromissio; & vel solo consensu contracta, quæ nuda dicuntur, vel iuramento interposito arrhauè data, quæ firmata seu vestita. Sponsus igitur nuptiarum terrestrium fuit is, qui & in oculis versatur nostris, & in luce Academiae, aq; meo nunc stat latere: sed & sponsa omnium in se oculos & ora non ita pridem conuertit. Ista quæ dixi præcesserunt quasi præparatoria, sponsalia. At quis istarum quibus nunc interest nobilissima illa Margaris nuptiarum sponsus, quæ sponsa, quæ sponsalia? **SPONSVS** equidem is est,

is est, cuius maiestas vestigari, sublimitas indagari, di-
gnitas pectore capi, lingua concipi, vel auribus excipi
nequit: IESVS nimirum ille CHRISTVS, Fili-
us DEI, factus filius hominis, vt hominum filios fa-
ceret filios DEI. O bone IESVS, quæ te vicit clemen-
tia? quantus iste tuæ in nos profusissimæ dilectionis ar-
dor? quis te cælo quasi detraxit, & in terram pertra-
xit amor? O sanctissime sponse, quamnam tibi spon-
sam selegisti? Quam putatis Auditores selegisse? Selege-
rit verò æternus ille DEI filius sponsam? Selegit. At
quam selegit? Expectatis, scio, selectissimam: subiectam
abiectionem, & si qua abiectionem abiectionem. At
quæ hæc? Mundus: totus enim mundus Ecclesia est,
& totus tamen mundus odit Ecclesiam. Mundus ita
odit mundum, inimicus reconciliatum, damnatus salua-
tum, inquinatus mundatum. Sed iste mundus quem
DEVS in Christo reconciliauit sibi, & qui per Chri-
stum saluatur, et cui per Christum peccatum omne dona-
tur, de mundo electus est inimico, damnato, reinqui-
nato: & ille Christi sponsa est: in quo cum & piè defun-
cta matrona corde, in hoc enim corpore, fuerit: ean-
dem Christi sponsam fuisse, atq; etiamnum esse rectè
pronunciabimus. Celebrata sponsalia: stipulatus CHRIS-
TVS se illi sponsum, stipulata hæc se illi sponsam fu-
turam, in sancto scilicet illo regenerationis lauacro, qui
bonæ est apud DEVM conscientie stipulatio. Pro-
pter

pter hoc ad baptismum curritur, propter hoc qui aegri-
tudine vel aliunde periclitantur, sibi desiderant subueni-
ri, propter hoc etiam sugens paruulus à matre pijs ma-
nibus ad Ecclesiam fertur, ne sine baptismo exeat, &
in peccato, quo natus est, moriatur. Infelicissima con-
ditio, miserrima fors istorum, qui de ore veridico audi-
erunt: In peccatis vestris moriemini: at felicissima
conditio, optima fors illorum, qui & crediderint, &
baptisati fuerint! Nunquam enim pressuris peccato-
rum homines caruerint, nisi cum ad hunc fontem bap-
tismi peruenerint: quomodo non caruit populus Israël po-
pulo Ægyptiorum, nisi cum ad mare rubrum venisset.
In hoc Baptismo pretium dedit, qui totum hominem e-
mit: Unde etiam totum tenet, quia totum redemit. Vide
quanti emerit, ut intelligas quid emerit. Quod pretium
dedit? Sanguinem dedit. Vbi dedit? Vbi fudit sangui-
nem suum. Vbi fudit sanguinem suum? In circum-
cisione, ac passione. Cur fudit? Ut mundaret sibi spon-
sam immaculatam, puram, sanctam. Sed multos vide-
mus adulteros qui sponsam tanto pretio emtam, ama-
tam, illo emtore, illo liberatore, illo donatore possidere
volunt, quos ut caueamus, iam tum antea diuina monu-
it sapientia.

Sponsalibus celebratis nuptiarum cura geritur,
locus constituitur, necessaria parantur, tempus decer-
nitur, vocantur hospites. At quis istarum, quas dixi,
cæle

cœlestium nuptiarum locus? Quem Auditores designa-
tum putatis? An magnificentissimam magnificentissio-
mi Salomonis vel æquantem, vel superantem regi-
am? An Cræsi aut Darij palatia obumbrantem curia-
am? An Mausoleum inter septem mundi miracula nu-
meratum referentem vel excedentem arcem? Nolite
vsquequaq; eadem quærere: nunquid tam exiguis lo-
cis tam eximia solennia celebrari posse opinamini?
Quid igitur? Quis locus, quæ regia, quod palatium, quæ
arx? Expectate locum quàm potestis ac vultis prestan-
tissimum & optimum: unicam tamen expectationem
vestrorum omnium vincam ac superabo. Locum Altis-
simus fabricavit augustissima Sacrosanctæ Trinitatis
presentia commendavit, Angelicæ cohortis frequentia
exornavit, Christus sponsus sponse suæ comparavit &
paravit, inq; eundem vocavit, vocatâ collocavit & colo-
cabit, augustissima nimirum cœlorum palatia: quæ
Patris sui domum nominavit Filius Parentis unicus ac
dilectissimus. Hæc domus Patris non nutat, nec labitur
nec ruit, vel omnibus corruentibus: quinimò his disso-
lutis & consumtis, dissolventur autem & purgabuntur
igni, ista cœli palatia nova, ac multo perfectiori facie in-
duta resplendent. Hic nostrum est $\pi\lambda\acute{\iota}\tau\upsilon\mu\alpha$, conuer-
satio politica, patria, domicilium nostrum, portus, &
nostri omnium receptaculum: hæc mundi atria exilium
nostrum, tempestas, & crepitaculum, jamiam ruiturum.

B

Quod

Quod si in habitaculo tuo parietes vetustate nutarent,
tectā desuper tremarent, domus jam fatigata, jam lassā,
ædificijs senectute labentibus ruinam proximam mina-
retur; nonne omni celeritate migrares? Si nauigante te
turbida & procellosa tempeſtas fluctibus violentius ex-
citatis, prænuntiaret futura naufragia, nonne portum
velociter peteres? Mundus ecce nutat, & labitur, &
ruinam sui non tam senectute rerum, quàm fine suo te-
statur: & DEO non agis gratias, quòd exitu maturio-
re subtractus, ruinis, & naufragijs, & plagis imminen-
tibus exuaris, eque illis libereris? Amplectamur diem,
qui assignat singulos domicilio suo, qui nos isthinc ere-
ptos, & laqueis secularibus exolutos paradiso restituit,
& regno cælesti. Iste paradysus nostra patria est: vbi
magnus nos carorum numerus expectat, parentum, fra-
trum, liberorum frequens nos & copiosa turba deside-
rat, jam de sua immortalitate securā, & adhuc de no-
stra mortalitate sollicitā. Ad hunc complexum venire
quanta & illis & nobis in commune lætitia est? qualis
illis cælestium regnorum voluptas sine timore morien-
di, & cum æternitate viuendi? Patria hæc, domicilium
hoc MARGARETAM piè demortuam accepit:
Parentum, Mariti prioris, liberorum, multorum con-
iunctorum amplexus excepit: sinus ille Abrahæ beatiss.
ac lætiss. suscepit. O patriam augustissimam, conspectum
iucundissimam, amplexum suauissimum, receptum tua-
tissimum!

tiſſimum! Ad hunc contendamus, inq̄, vita hac nihil aliud, quàm ſpem futuram, deſideriumq̄, vitæ æternæ meditemur. Quod enim intrauimus, iter agimus, exituri venimus, non remanſuri.

At quis ibi apparatus? Hunc nec mens cogitando aſſequi, nedum oratio perſequi poteſt. Id tantum cogitate, quod nunc enunciabo: omnia ibi bona futura, nulla defutura: quid enim ibi non eſſet, quid ibi deeſſet, vbi **DEVS** ipſe eſt, ac nullibi deeſt. Tempus verò illud perfectiuum reſtitutio eſt omnium: cuius momenta certa ſunt **DEO** ipſiq̄, **FILIO DEI**, & ipſi **FILIO HOMINIS**: qui vbi nescire ſe dicit diem illum & horam, facere dicitur homines illum nescire, ſecundum **Auguſtinum**: vel ignorare dicitur, quòd iſta reuelatio ſui non eſſet officij, juxta **Hieronimum**. Incerta autem iſta momenta ſunt filijs hominum: cumq̄, vltimi iſtius diei articulos nesciamus, ingrati ne ſimus, quod hodiernum habemus in quo corrigamur. Largitur nobis **DEVS** ſpatium correctionis, ſed nos plus amamus dilationem, quàm emendationem. Mali fuerimus heri, hodiè boni ſimus: hodiernum diem in malitia peregiſmus, vel cràs mutemur,

Sed qui vocatur hoſpites? Humanae iſta ac mundanae nuptiæ hominum requirunt magnorum quidam aliquando ac multorum præſentiam: ad has omnes omninò vocantur homines. At per quos? Ad munda-

nas, per Paranympchos: ad cœlestes, per præcones verbi, & quandoq; per morbos, animiq; & corporis varias egritudines. Mira dicis vocandi ratio: At vera tamen hæc oratio. Mira verò: quippe Deus ipse in sanctis suis mirabilis, sanctos suos mirificat, cum & ipse nomen habeat mirabile. Vera autem: sic enim hinc quoq; feliciter auocata est fœmina pijsissima, honestissima, cui nunc parentamus: vocanturq; quotidie ex hoc orbe, immò hac vrbe plurimi. Quia verò hospitum ad nuptias vocatorum quidam suis istas præsentia orationes reddunt, nonnulli vel negotijs, vel alia quacunq;, quandoq; graui, quandoq; leui de causa domi se detineri patiuntur: in illorum fuit Matriona hæc optima numero, qui ad iussa prompti, adq; vota parati, vocantibus obtemperant, inserviunt, & qua possunt ratione se accommodant.

Quamprimùm enim sentiebat isto se morbo à terrenis his nuptijs ad cœlestes illas euocari, expectatus ades sponse dicebat optime, expectatus ades: adero tibi si placuero, placuero autem si me vel paululum exornauero. At quæ ista exornatio? quæ habuit ornamenta? Hic mecum, intueor nunc & compello hæc lumina atq; ornamenta vtriusq; Reipublicæ, animi prius, tum corporis insignia consideretis obtestor. Animum fides tenebat Fides autem eundem animum quasi circulus cõplectitur, fides spe nutritur, spes dilectione tenetur, dilectio operatione expletur, operatio ad summum bonum intentione

tione trahitur, intentio boni perseverantia clauditur,
perseverantia DEVS fons omnium bonorum dabitur.
Fidei huius confirmationem in CHRISTO quaesi-
uit, viuo fonte aquae viuae & vitae salientis in vitam ae-
ternam. Quaesivit autem Christum ibi, vbi praedicari se
voluit: & quomodo nobis praedicari voluit sic illum te-
nuit, sic in corde suo scripsit. Voluit autem se praedicari po-
tiss. in Sacramentis, & sic in Sacramento etiam corpo-
ris ac sanguinis sui: vbi panis caro, quod non capit ca-
ro, & vinum sanguis, quem rapit anguis, caro inquam
& sanguis Domini nostri IESU CHRISTI: quo
vt verè salutaris viatico ad iter conficiendum instructa
& egregiè confortata est. In hoc creuit: crescimus &
nos in illo, ne subtrahamus nos, vt quasi ille deficiat. Re-
ficiemur, si accesserimus: deficiemus, si recesserimus. In-
teger manet, nobis accedentibus: integer manet, nobis
cadentibus. At verò quodnam corporis ornamentum,
quod vestimentum, quod tegumentum? Linteum indu-
mentum, quod omnium nostrum cadaveribus circumijci-
tur. Vidit hoc & agnouit Saladinus ille Aegypti Rex,
qui Christianis regnum Hierosolymitanum, virtute &
laboribus maximis Godefredi Biliomnei partum, ite-
rum eripuit, cum moriturus mandauit, vt postquam e-
vita discessisset, in hasta praelonga linteus amictus, quo
indui solebat, & in quo etiã esset sepeliendus, per castra
portaretur, & de ea à gestatore magna voce proclama-

B 3

retur:

vetur: Saladinum Asiae domitorem ex tantis opibus,
quantas fuisset consecutus, hunc linteum amictum se-
cum deferre.

Qui porrò ad nuptias ituram comitati sunt? An-
geli. Qui animulam relicta corporis sarcina aduolantem
exceperunt? Sancta Trinitas, & ipsi Angeli. Apud
quem sarcina corporis, tanquam vestis itineraria, de-
posita, cui credita? Terræ. Quando depositum red-
dendum? Propediem. At quando? Vbi sonus buccinæ
cunctos sepulcris exciuerit.

At quæ in nuptys illis cœlestibus lautitiæ? quæ
letitiæ? quæ citharæ, quæ tibiæ? Ibi lautitiæ DE I
laudatio: letitiæ DE I visio: citharæ, tibiæ, Ange-
lorum hymni & collaudatio. Quæ choreæ? Videor vide-
re mihi beatissimos illos spiritus gratantes, exultantes,
tripudiantes cum Margareta Heisena. Quia verò ego
ipse defunctam illam meam amittimam ad choreas die
ab hinc 14. duxi, saltavi: audebo interrogare ipsos An-
gelos: audite me interrogantem potius, quam conten-
dentem, magis quærentem, quàm querentem, potius di-
scientem, quàm docentem, & in me vel per me etiam vos
interrogate: Quid erat spiritus beatissimi, quod marito
coniugem, liberis matrem, generis socrum, Garceo co-
mitem inuidebatis? Præstabatne in terris potius, quàm
cœlis manere eam, quæ nostra erat, non vestra. Subyciē-
tes audio: non vestra, sed nostra erat gemma hæc, quæ
à vobis

à vobis spreta, à nobis colitur, amatur, fulgetq; vt Sma-
ragdus inter Margaritas reliquas lucidissimus. O si pos-
semus excitare vos homines mortuos, vt tales essetis a-
matores vitæ nostræ permanentis, quales estis fugien-
tis, gauderetis nobiscum, exultaretis, cum Margareta
nostra in vita hac nostra bearemini, letaremini. Vestra
enim vita in tempore peregrinationis est, nostra in eter-
nitate mansionis: vestra in labore, nostra in requie: ve-
stra in via, nostra in vita: vestra in opere actionis, no-
stra in mercede contemplationis: vestra declinat à ma-
lo, & facit bonum, nostra nullum habet à quo declinet
malum, & magnum habet quo perfruatur bonum: ve-
stra cum hoste pugnat, nostra sine hoste regnat: vestra
fortis est in aduersis, nostra ab aduersis est auersa: ve-
stra carnales libidines frenat, hæc spiritualibus delectati-
onibus vacat: vestra est viuendi cura sollicita, nostra
victoriæ pace securâ: vestra in tentationibus adiua-
tur, nostra sine vlla tentatione in ipso adiutore letatur:
vestra subuenit indigenti, nostra nullum inuenit indi-
gentem: vestra aliena peccata vt sua sibi ignoscantur
ignoscit, nostra nec propria, nec aliena agnoscit: vestra
flagellatur malis, ne extollatur in bonis, nostra caret o-
mni malo, & fruitur summo bono: vestra bona & ma-
la discernit, nostra quæ sola bona sunt cernit. Ausus in-
terrogare, ad verissimam ac lætissimam hanc, quam ex-
audire mihi visus sum, vocem, labia comprimere, & os
obtura

obscurare cogor: piè defunctæ de summa ista felicitate
gratulari compellor; nobis vt concedat **DEVS** vni-
uersis sic custodire, regere ac finire vitam nostram, vt in
pace dormiamus, & requiescamus, & in fine nobis præ-
stetur, vt nos accipiat somnus cum requie, requies cum
securitate, securitas cum æternitate, comprecari moue-
or: vobis omnibus Viri magnifici, illustres, reueren-
di, clarissimi, doctissimi, amplissimi, ornatissimi, iuuenes
studiosissimi, gratias summas agere, preces & obsequia
cum studijs nomine hæredum relictorum deferre jubeor:
Vos deniq, vt si quid fortè dictum sit, quod dici non de-
buisset, aut non dictum, quod debuisset, humanæ fragi-
litati ignoscatis, sublimiora & splendidiora ab alijs ex-
ercitatoribus exposcatis, precari moneor. Quam me-
am petitionem suam cum apud **DEVM**, tum
apud Magnificentiam, illustrem grati-
am, præstantias & humanitates,
vestras locum facile in-
uenturam planè
confido.

D I X I.





154886

AB 154886

ULB Halle


3



003 009 254



fu







COLLATIO

Nuptiarum terrestrium ac coelestium
In funere

PIUSSIMAE AC HONESTISSIMAE FOEMINAE
Margaretæ Heisenæ &c: ab illarum
fluxis solennibus ad harum perpetuas festiuitates
Francofurto placida morte
à DEO 7. Id. Sept. euocata,

HONORIS DEFUNCTAE
AMITIMAE VLTIMI PRAESTANDI,
doloris Hæredum relictorum summi leuandi,
amoris erga hos & illam intimi testandi, morisq;
antiquissimi ac probatissimi firmandi ergò

à
M. Ioachimo Garcaeo
rogato, s. eorundem ante
ædes instituta.

*Francofurti ad Oderam
Typis Scuirianis.*